

D. B. V.
DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
STERILITATE
UTRIUSQVE SEXUS,
PRÆSIDE DIVINO NUMINE,
Decreto, Consensu, & auctoritate
Amplissimæ & Gratiissimæ
FACVLTATIS MEDICAE
IN CELEBERRIMA ARGENTORATENSIMUM
UNIVERSITATE,
PRO
SUMMIS IN ARTE MEDICA
HONORIBUS
AC
PRIVILEGIIS RITE CONSEQVENDIS,
PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI
SVBIICIT
JOH. RODOLPHUS NEUHUSIUS,
Bienna Helvetius.
Ad diem 20 Februar. Ao. M DCC XXVI.
horis locoque solitis.

ARGENTORATI,
Literis GEORG, ADAMI PIESCKERI, Typogr. Univers.

D E O ,
E T
A M I C I S ,
O M N I B U S Q V E ,
Q V I B U S , U T S I T S A N A
M E N S I N
C O R P O R E S A N O ,
E X O R T O .



§. I.

Quo pluribus machina artificialis composita est partibus, eo facilis etiam destruitur; Ita officina, in qua homines fabricantur, quæ ex tot fibris, arteriolis, venulis, tubulis, musculis, membranulis, glandulis, & humoribus constructa, etiam pluribus accidentibus & morbis obnoxia est. Inde mortalium propagationem, ut genus humanum continuo augeatur, per necessariam censem, & æque magnam curam impendendam, aut certe non multo minorem, ut homines continuo fiant, ac ut nati & facti in bona dispositione conserventur, aut si ægrotent, sanitati restituantur. Itaque Medicinae incumbit, quia sterilitas in quibusdam subjectis causas agnoscit occultas, in eas inquirere, & omnibus viribus anniti, ut plures & plures quotidie detegantur causæ, iisque semel notis, facilius Remediis proportionatis occurrere possimus, quod nobis etiam de hac Materia differere ansam dedit.

§. II.

Ut autem præternaturales conceptionem impedientes eo melius describere possimus causas, oportet,

A 2 prius

prius ostendamus debita & primaria legitimæ atque naturalis conceptionis requisita, æque ac, ut quid per naturale vel præternaturale intelligamus pateat, natura hominis definienda, quæ nihil aliud est, quam *Conuenta unicuique homini, materia primi & secundi Elementi, per corpus nostrum continuo, & ab ipso conceptionis & generationis tempore, usque ad finem vita transeuntis, & ita particulas nostri corporis, quoad fabricam & texturam ejus, in situ, figura, magnitudine, motu & quiete, modificantis actio; quicquid nunc hanc immutat, vel impedit actionem, id nostram naturam alterat, vel præternaturale dici potest.*

§. III.

Legitima vero conceptio est ovi unius vel plurium bene constitutorum, ab aura genitali, ad ovarium ascidente fecundatio & vivificatio, indeque eorum per tubas fallopianas dietas ad uterus delatio, ibidemque accretio & nutritio. Ovarium autem, & in eo contenta ova bene sint disposita, necesse est, alias nulla subsequitur imprægnatio. Ova autem bene disposita habenda, quando ex materia ad hoc opus laudabili, secundum naturæ leges ordinarias, a Deo in creatione datas, ad requisitam perducta sunt perfectiōnem, inque iisdem secundum easdem leges talis dispositio & delineatio inducta est, ut accedente aura genitali, aliqualis fermentatio inter particulas subtiliores incipiatur, per quam ova & in illis ipsa jam antea posita lineamenta, ad ulteriorem augmentationem & nutritionem disponuntur.

§. IV.

Hanc dispositionem & delineationem explicare varia a variis excogitata sunt, quo faciunt spe-

. . .) § (. . .

speciosa illa nomina , Archeus Helmontii , Spiritus seminalis insitus , vis plastica , aut Microcosmetor aliquis , quibus obscuris hæc obscura & quidem satis obscure enodare conati sunt Celeberrimi alias Authores ; Alii tamen hunc nodum Gordium felicius solvere putant , statuendo , illam delineationem & dispositionem omnium ovorum jam in ovario Evæ , primæ nostræ parentis , ab ipso Deo in creatione delineatam esse , quamquam hæc opinio tam absurdâ non sit , tamen eo confugendum non censeo , nisi ullus amplius supersit modulus , quo concipere possimus , quomodo illa delineatio ex legibus motus in quovis ovo de novo fieri possit.

§. V.

Prout in vegetabilibus Semina ; per solas motus regulas & naturæ leges , ex specificis perspectifice formatos poros tranfeuntibus , inque summitatibus vel alibi collectis particulis componuntur , & pededentim ad perfectionem deducuntur , ita etiam ex variis humani corporis particulis per certa ad hoc opus formata organa quasi cribratis . & ita debito modo figuratis , situatis , certa magnitudine , motus , & quietis proportione præditis in ovo fæmella collectis , talis aliqualis delineatio , vel dispositio ad futuram delineationem oriri necessario debet , nam secundum diversa spatiola inter particulas , certæ ex materia subtilissima conflantur particulæ specificæ , quæ si congregiuntur specificas etiâ componunt massulas , prout e. g. videmus in rupibus lapides vel Crystallos hexagonales , Saliaque varia , variae concrescere figuræ , neque tantopere admiramur stellulas varias in hyeme niveas tam artificiose congelari , Sa-

Ilaque volatilia varia in vasis destillatoriis pulcherrimas depingere figuras. Si ergo haec prædictæ particulæ respectu indefinitæ varietatis particularum in homine repertarum tanquam homogeneæ tales curiosas figuræ constituere possunt, quidni etiam in homine tales modificationes variarum particularum & organorum sufficere possunt ad necessarias delineationes, foetusque rudimentum constituendum. Verum quidem est in ovis non imprægnatis talem delineationem nobis insensibile & nullo microscopio observabilem esse, quia limpidissimus est ovorum liquor, & Germen, sive illud quod germinis loco adest, facile ovorum comprehensione & conrectatione, cum liquidior & fluxilis adhuc sit, corruptitur, unde concludo etiam fortí aliqua Spirituum animalium commotione, vel aliis causis externis ita immutari posse, ut postea monstræ generentur, si nempe delineatio talis prævia ex parte tantum immutatur, si vero omnino tollitur, nulla plane insequitur impregnatio.

§. VI.

Per delineationem vero sive germen illud nihil aliud intelligendum volo quam rudem quandam paucarum fibrilarum, staminum & corpusculorum in cristallino illo ovorum liquore adjunctam dispositionem, prout Pictores si aliqualem imaginem delineare incipiunt, principales tantum & facile delebiles primo ducent lineas, admodum imperfectas, interruptas, & non adeo accuratas, & quæ accedente penicillo Artificis facile perfectæ redduntur, atque secundum varios in eo contentos liquores & colores immutantur. Ita etiam in ovis

ovis quædam fibrillæ & stamina primo valde imperfecta
ruditer admodum coeunt, ubi principalia membra &
viscera postea constitui debent, quæ postmodum a li-
quorum genitalium aura paulatim ulterius deducuntur,
donec corporis humani teneram aliquam constituent figuram; Ita ut non opus sit confugiendi immediate ad
Dei digitum, qui animalia denuo ex ovis formet,
cum in vegetabilibus hæc delineatio à legibus naturæ &
regulis motus proficiatur, quidni etiam in animalibus
simile contingere potest. Itaque summe admiranda est
infinita Dei omnipotens sapientia per quam primos
nostros parentes tam artificiose formavit, & leges na-
turæ tam sapienter posuit, ut tales particulæ sic mo-
dificatae in sanguine generarentur, per quædam orga-
na separarentur, inque ovario & ovis colligerentur, &
debito modo disponerentur, quæ certe separatio dispo-
sitio & collectio, ut jam dictum, non ab alia dependet
re, quam a mira pororum proportione, motus varia-
tione, indefinita etiam particularum in sanguine hu-
mano contentarum varietate, sufficientem materiam
ad compositionem ovorum subministrante.

§. VII.

Ad legitimam conceptionem autem requiritur
Semen virile bene dispositum, ut talem auram sive ef-
fluvia idonea suppeditare possit, cum nempe in utero
cum liquore genitali muliebri commixtum aliqualem
subit fermentationem, ope cuius spirituosiores ejus par-
tes, id est aura genitalis, a vehiculo liberatae per tubas
Fallopianas ad ovarium ascendunt, ibi ovum unum vel
alterum maturius imprægnant & fæcundant, dum nem-
pe

pe per talem fermentationem à vehiculo se junguntur, ova penetrant, inque uno vel altero eorum puncto, in quo scilicet Cor delineatum est, fermentationem aliqualem & motum, vitæque Chorem incipiunt, quod tunc post aliquot septimanas, juxta observationem Domini de Graaff, in uterum delapsum non prius annexitur, quam dum omnia fœtus membra efformata sint, & Radices quasi agit. Ergo & ipse uterus bene dispositus esse debet, non aliena materia obsitus, vel obstruetus, sed transpirabilis & qui suum ordinarie menstruale tributum debito reddat modo. Mulieres enim tantum ab illo tempore pro facundis habendæ, quo menstrua fluere incipiunt, donec, iterum cessant.

§. VIII.

Sunt qui se observasse asserunt, in liquore genitali virili, qui duplicitis est consistentiae, dum una pars & quidem ipsum semen magis albicans, altera pars nullo modo intime cum semine mixta, paulo magis ad aquæ, vel potius Albuminis ovorum consistentiam & colorem accessit, moleculas, quas Leuwenhoeck sub vermiculorum nomine & figura delineavit, magis esse rotundas, parum tamen ovales, & neque cauda neque capite gaudere, feminisque materiam albicanter a vehiculo, vel illo liquore mortuo, cuius particulae viscidiores & oleosiores absolute nullo motu gaudent, liberatam, ex meris & puris hujusmodi moleculis, liquori limpidissimo, & nullo microscopio observabili in natantibus, vario & irregulari motu præditis consistere & conflatam esse, quæ moleculæ vel massulæ, procul omni dubio nihil aliud sunt, quam certus numerus particularum

) 9 (

cularum sanguinis spirituosarum & subtilissimarum, quæ in filamentorum minutissimorum canaliculis testiculorum coacervatae & accumulate in tales massulas elaboratae sunt, qualis elaboratio ita fieri intime persuasus sum, dum nempe ramosiores & crassiores harum particularum sanguinis subtilissimarum, quæ in continuo sunt motu, & canaliculis testium inclusæ, nullo dato spatio a motu intestino & circulari ad latera propelluntur, & quasi cuticulam constituant, istisque spiritibus qui jamjam genitales vocandi, aliquomodo hospitiola & nidulos prabent, nana secundum leges naturæ & regulas motus in omni motu circulari crassiores & rudiores particulæ a centro, quantum possibile, propelluntur & subtiliores circa centrum remanent, talem motum intestinum seu circularem hæ particulæ his cuticulis inclusæ retinent, qui ipsis hance agilitatem comparat, quæ etiam agilitas a materia mundi subtilissima, cui propter pororum angustiam soli tritus præbetur, multum augetur & adjuvatur, unde etiam duplice gaudent motu. Hi spiritus genitales demum in vesiculis seminalibus, aliisque organis liquori limpidiori, & in prostatis vehiculo oleoso & aquoso commixti, varie moventur, semenque laudabile albicans constituunt, unde aere accedente, calore & motu deficiente, agitatio particularum parum immunitur, vel plane tollitur, & ita globulis cælestibus magis sine interruptione transire licet, & refrigeratum humens ad aquæ tum speciem tum colorem magis accedit, ex quo patet, decentem ejus consistentiam a sufficiente & maxime activa spirituum copia, certa particularum mixtione & textura plurimum dependere, & aeri expositum, textura dissolvi, corrumpi, sterilescere, imprægnationique inidoneum evadere, auramque illam genitalem, amissa vi fermentativa non amplius

B

plius

plius præbere posse. Hæc aura genitalis itaque nihil aliud est, quam predicti spiritus, per arterias præparantes cibrati, in testiculorum vasculis collecti, per lenem quandam fermentationem in utero hospitiolis extricati, per tubas Fallopianas ad ovarium delati, poros ovorum ingredientes, eaque parum immutantes, aliumque motum in quodam ovi alicujus puncto ad id jam disposito inchoantes, & ita rudiora jam antea postialinea-menta ad ulteriorem augmentationem secundum eorum qualita-tes disponentes. Vnde etiam demonstrari posset, quare omnes fere morbi tam animi, ut Iracundia, meticulo-sitas, tristitia & morositas &c. [quoniam improprie morbi dicantur, nam anima sola proprie agrotare non potest] quam corporis, ut Apoplexia, Podagra, Convul-siones, Spasmi, Epilepsia &c. qui saepius a spirituum ani-malium intemperie dependent hæreditarii esse possint, dum nempe talis intemperies spirituum animalium tanquam fermentum vitiatum simul cum spiritibus ge-nitalibus ova ingredientibus, huic vel illo morbo hæ-reditario fundamentum quasi jacet; unde etiam mon-strorum generatio, similitudo Infantum cum parenti-bus, tum quoad animi affectus, tum quoad corporis habitus derivari & explicari possent.

§. IX.

His jam ita positis & bene perceptis cuivis liqui-do constabit, Sterilitatem accidere vel respectu viro-rum vel mulierum, vel utrorumque. In Viris lati-rantes causæ sunt pauciores & cognoscendo faciliores, & consistunt vel in mala conformatione, sub qua etiam Atoniam comprehendo vel in Seminis Intemperie. Mala confor-

conformatio respicit organa vel externa vel interna; Externorum mala conformatio facile patet, & ut plurimum incurabilis est, quando scilicet aliquid deficit aut redundat, vel aliter organa se habent, quam ut officia sua praestare possint; Ut si defint vel laeti sint testes, penes, vel si decente brevior, crassior &c. vel Vir Hypospadius sit, quæ omnia oculis sese fistunt & Chirurgica operatione tolluntur.

§. X*

Internorum mala conformatio vix cognosci potest, & est quando vasa præparantia, Seminisque generationi dicata, non bene sunt proportionata, situa-ta, figurata, nimis pauca & exilia, quam ut sufficiens & requisita materia ad feminis generationem, debito af-feratur modo, quæ tamen raro peccatur in defectu, rarius adhuc in excessu, saepius autem in disproportione, quales defectus vel jam in utero materno contrahuntur, vel a causa externa, ut frigore, vulnere, contusione, attritione, aliisque causis violentis, ut in Thlibiis & Thla-siis, inferuntur, & non curantur; Aut ab Intemperie Sanguinis, reliquorumque humorum ortum suum tra-hunt, quo variae atoniae Species pertinent.

§. XI.

Omnis Intemperies, quia liquida tantum con-cernit, & omnes humores a Sanguine certo modo de-pendent, etiam a Sanguine primario oritur, & ex San-

B 2

guine

guine vitiato etiam Chylus , omnesque reliqui humores , ergo & Semen Intemperatum evadit . Est autem Intemperies talis vitiola Sanguinis dispositio , ubi scilicet particulæ quædam alias certa quadam proportione & textura Sanguinem laudabilem constituentes vel superfluæ sunt , vel plane heterogeneæ & ad Sanguinem nullo modo pertinentes & inepta immixtae sunt , ut si Sanguis plus minus de salibus acidis vel alkalicis , plus minus volatilibus aut fixis & acribus participat , si plus minus particulis viscosis , terrestribus & oleosis , serosis & sexcentis aliis infarctus sit , variae inde Intemperie & cacockymiaæ Species oriuntur , imo non raro textura sanguinis solvit , sanguisque varie turbatur .

§. XI.

Primum autem agmen dicit intemperies acidæ , si nempe Sanguis scateat salibus acidis , alienis , generationi inimicis , quarum particulæ sunt scindentes & spicularum instar pungentes , quæ vario modo vitiari possunt , & prout videmus varios gladios , majores , minores , magis vel minus pungentes , scindentes , una parte crassiores , ex parte flexiles , rigidos , silientes , striatos , politos , ferrugine obductos , dentatos , concavos , flammatos & planos , ita & acidi variare possunt particulæ , & felix esset Medicus qui omnibus his gladiolis & spiculis proportionatas porrigeret sciret vaginulas . Ab hoc nimio & dégeneri acido Spiritualiscentia impediri potest , dum Sanguinis pars balsamica subjugatur , & cum particulis terrestrioribus intricatur , vel cum acidis

in

in parvas massulas concrescit, & ita Sanguinis textura legitima solvitur, vel immutatur, aliquando majore effervescentia nimium agitatur, tenuesque ad auras subtilior avolare cogitur pars, unde tandem talis Sanguis subtilissimis suis privatur particulis & vappae instar ad generationem sufficientis quantitatis Spiritum inutilis evadit.

§. XIII.

Huic intemperiei acidæ plane contraria est alkalina, cujus materia est Sal quoddam urinosum fixius vel volatilius, vel alio modo peccans. Notandum vero quod per alkali hic intelligam omnia ea quæ cum alkilibus eundem effectum habent, & acido contraria sunt, quæ componuntur ex particulis talibus, quæ plurimum soliditatis habent, & si vi Ignis commoventur, plures facieculæ levigantur, extremitates exacuantur, quibusdam in punctis inter se immediato contactu conjunguntur, & porosas massulas componunt, subtilioribus interim & valde solidis in auras avolantibus, quæ salia volatilia constituunt, & ejusdem fere cum fixis sunt naturæ, eo quod cum acido congreendo effervescent, seque cum eo conjugendo aliquod tertium constituant; Si ergo tales particulae volatiles vel fixiores, quæ certa proportione cum sexcentis aliis in compositione Sanguinis concurrere debent, majori quam par est copia in Sanguine & humoribus existunt, vel alio modo peccant, ut quando ejus particulae magis vel minus sunt subtile, anguli debito obtusiores, acutiores,

vel alio modo, figura, situ, magnitudine &c. a consueta modificatione recedunt, acidum quod naturaliter in corpore existere debet, ad fermentationes varias conductit, immutant, infringunt & oppugnant, fermentum stomachale immiuuunt, si non plane tollant, & putrefactioni ansam dent, vel multas particulas acidas in se recipiendo, multa in variis corporis humani partibus calciformia quasi præcipitant, aut acidi acrimoniam in tantum adaugent, ut corrosiva plane evadat, & ita tales particulae pro varia in quantitatibus & modificationis aberratione indeque cum acido congreſſione varios producunt effectus & fæcunditati obicem ponunt.

§. XIV.

Hanc sequitur intemperies illa, quæ a nimia copia particularum crassiorum & valde irregularium & ad motum minus aptarum, id est terrestrium oritur, quibus etiam ut plurimum acidum aliquod vitiosum se adjungit, in iisque nidulatur, morbosque melancholicos prægignit.

§. XV.

Nimia copia particularum in sanguine oblongarum, teretium, flexibilium, glabrarum & anguillarum instar

instar inter se repentium, intemperiem sanguinis sero-
sam, si oblongæ, rigidæ & acutæ, quales sunt parti-
culæ salis marinæ, nimia copia adjunguntur, muriati-
cam, si visciditas accedit, phlegmaticam sive pituito-
sam vulgo dictam constituunt.

§. XVI.

Ex particularum ramosarum subtilium valde
& flexibilium nimia abundantia, intemperies exsurgit
bilioſa, ubi sanguis nimis facile & minima accedente
occasione nimium ebullit, ac textura ejus turbatur,
quia inter istos ramulos subtileſ, minora etiam sunt spa-
tiola, quæ nulla alia, quam subtilissima mundi mate-
ria impleri possunt, quæ cum semper in maximo sit
motu, si parum turbatur, aut a particulis acido valatili-
libus ex hospitiolis suis extrudatur, inter particulas
proxime adjacentes magnos excitat tumultus, efferves-
centias & spirituum animalium jaſturas.

§. XXVII.

Si multæ in sanguine hærent particulæ flexiles qui-
dem fed valde ramosæ, hamosæ, & ad intricationem aptæ,
ideoque viscosæ dictæ, etiam multum damni econo-
miæ animali afferunt, idque eo magis quod acido vi-
tioso commodissimos præbeant nidos, hæcque duo ad
homi-

hominis perniciem promovendam, sapientia, si non semper, sese conjungendo morbos Chronicos producunt varios, ubi acidum vitiosum ita inviscatum expugnari vix potest, & ita talis visciditas acida spiritualiter maxime obest, ideoque constituit intemperiem pertinacissimam & fæcunditati maxime contrariam, dum obstructionum fere omnium mater & autor existit. Sic cum sanguis ex sexcentis aliis constat particulis variz adhuc intemperiei species fiunt, mixtae enim & ex prædictis secundum magis vel minus compositæ inveniuntur, quanquam unæ aliis majorem inferant noxam. Omnia etiam prædicta quæ excedendo nocent & quibus certa proportione opus, si deficiunt, contrarii etiam resultant effectus.

§. XVIII.

Has intemperiei species introduxi non tantum, quia fæcunditati direcete obicem ponunt, sed quia imprægnationem naturalem & legitimam ad procreationem foetus sani aliquomodo impedire possunt, nec ex professo de illis hic agere animus fuit, sed ut eo melius intelligatur, quomodo ex varia sanguinis intemperie & humorum, variis visceribus & organis, etiam genitalibus, variæ inducantur Atoniae species, unde illa organa, tanquam vitiata Instrumenta, vitiosa elaborant feminæ & ova & non alii quam vitiati foetus prodire possunt, nisi forsitan semen intemperatum masculinum a liquefactione genitali muliebri utcunque corrigatur.

§. XIX.

S. XIX.

Per Atoniam intelligo , vasorum , pororum , fibrarum & staminum , naturalis dispositionis , cuius ope organa suas specificas perficiunt operationes , perversio-
nem & immutationem . Dispositio illa naturalis va-
rio modo , variisque in organis pervertitur , & primo in vasis sanguiferis , nimia illorum apertione , quando sanguis propter nimiam copiam in vasis suis contineri , commode circulari , motumque suum absolvere nequit , unde vasa sanguifera , generationi dicata , laxantur , & tandem atonia inducitur , quæ fæcunditati obest , dum tunicae arteriarum materiam seminalem afferentium , nimis rarefiunt , porique debito majores redunduntur , tunc particulæ , quæ per talia organa quasi cribri de-
berent , aliis permixtae , & sic non tantum particulae se-
men laudabile constituentes , sed & alienæ transeunt , quod & observatur in iis , qui nimia gaudent Venere , nam subtiliores partes præcedunt & crassiores sequen-
tur , quæ majores excavant poros & relaxant , præcipue si subiectum mollioris est texturæ . Si vero prædictarum tunicarum pori propter contentam in sanguine austeri-
tatem , cuius particulae sunt subtile , & ferræ instar multis hamulis & spinulis acutis donatae , & nimium constringentium ulrum constringuntur , vel a particulis viscidis & terrestrioribus obstruuntur , liberior transi-
tus denegatur , & materia seuen perficiens parcior ad-
ducitur , si non plane denegatur .

§. XX.

A sanguinis intemperie etiam lympha vitiatur.
hinc in glandulis congregatis, in quibus ad ulteriores
C usus

usus colligitur & præparatur , atque per vasa lymphatica ad chylifera & sanguinem revertitur , Atonia induci potest , unde postea quod primo causa fuit , demum erit effectus , scilicet intemperatus sanguis lymphæ , lymphæ glandulis atomiam , glandulæ vitiæ iterum lymphæ , & lymphæ sanguini intemperiem inducere potest , unde lymphæ noviter adventans in glandulis talibus vitiatis ad usum destinatum præparari non potest , & semenis corruptioni , si diutius in suis receptaculis detineatur , ansam dat .

§. XXI.

Ad genitalia , ut pertingant spiritus animales , necessario requiruntur nervi , quales tono suo legitimo privantur , si eorum filamenta a sero sanguinis , sive lymphæ superflua nimium humectata flacesscent aut laxantur , vel ab alia causa comprimuntur , corrugantur vel obstruuntur , spirituum affluxus impeditur , qui tamen per necessarius ad erectionem penis requiritur , non tamen quod per eorum substantiam corpora spongiosa ita inflentur , sed influendo in musculos illis adjacentes , item in arteriarum tunicas & venarum , illas quidem ampliando has vero constringendo , sanguinis affluxum augeant , & refluxum impediunt , nervulosque hinc inde sparsos firment . Ad tentiginem istam , penisque rigiditatem multum etiam facit repletio vesicula rum seminalium , tum quia semen sale volatili imprægnatum nervulos irritat , tum quia vasa sanguifera venosa ab illis glandulis repletis aliquomodo pressa , sanguinis refluxum impedire possunt .

§. XXII.

...) 19 (...
§. XXII.

Sia materia corrupta & venenata carunculae seminis & liquoris prostratarum exitum custodientes corroduntur, & liquor prostratarum alieno fermento inficitur, gonorrhœa virulenta oritur, quæ prius quam tale fermentum sanguine communicatur, exacta eyacuatione curatu possibilis videtur; Si hæ caruncula tantum laxentur, sive ob intemperiem sanguinis feroram, sive nimiam in juvenute exercitam venerem vel manstuprationem, illa ostiola sive valvulae violantur, non clauduntur, aut invertuntur, Gonorrhœa simplex excitatatur, quando autem ob turgescientiam ab imaginationibus lascivis, vel acredine solito majore seminis sive liquoris prostratarum, hæ carunculae ad effusionem irritantur, pollutionibus nocturnis ansam præbent.

§. XXIII.

Satyriasis, tanquam summus Salacitatis gradus, & Priapismus saepius fecunditati obsunt, & sunt diversi tantum gradus acrimoniæ, quæ nervos & musculos certo gradu laedere consuevit, ita ut si summe irritentur nervi & musculi illi, erectioni dicati, tandem convulsionebus tententur, ut in Priapismo interdum fieri solet. Musculi illi, Erectores dicti, non raro etiam laeduntur & resolvuntur, ita ut Spiritus animales apertis his & non clausis istis non retinentur, sed statim iterum fugam tentent, unde musculi non inflantur, & ita Sanguis in cursu suo non impeditur, sed per Venas libera ipsi ad Cor redeundi conceditur via, cuius causa saepius est vel nimium frigus, contusiones, equitationes vehementes,

C 2

aliaeque

aliæque læsiones , quibus Stamina & valvulae in illis
musculis facile suum deperdunt tonum , situm & figu-
ram , unde impotentia virilis .

§. XXIV.

Sunt & multæ aliæ virilis impotentia & ita Sterilitatis ab authoribus recensitæ cauæ , in quibus casibus vulgus plurime recurrit ad præternaturalia , statimque divini aut Diabolici quid subesse suscipitur , unde de maleficiis , Carminibus , magicis incantationibus , ligationibus , nexibus & vinculis multa garriunt , & non pauca pro præternaturalibus habent , quæ tamen mere naturales agnoscent causas , unde prius optime inquirendum ; Sæpe enim Sola persuasio , imaginatio , pudor & metus penis erectionem in quibusdam circumstantiis impedire possunt ; quale Exemplum apud Venetiæ recensetur .

§. XXV.

Causæ sterilitatis in sexu fæminino multo sunt numerosiores , multo difficilius cognoscuntur , medicisque plus faciliunt negotii , accedit & pudicitia maximæ parti hujus sexus agnata , propter quam veras causas , malumque in principio curatu facillimum reticent , unde medicamenta raro optatum producunt effectum ; dependent itidem vel à mala conformatione , vel humorum intemperie , quæ mala conformatio iterum ut in viris consistit vel in externis vel in internis .

§. XXVI.

§. XXVI.

In externis primo occurrit imperforatio , vel omnimoda vel ex parte tantum , omimoda rario & plane præternaturalis est , & impedit non tantum semi-nis in uterum injectionem , sed etiam purgationem menstrualem , unde plurima incommoda exfurgunt , & ex sanguine taliter stagnante , retento & corrupto , ulceræ oriuntur , quæ postea consolidata , cicatrices relinquent , & multa oscula arteriarum clauduntur , unde saepius cata-menia cum dolore fluunt ; uteri etiam extensio , placentæ adhæsio , aliaque mala inde procedere possunt .

§. XXVII.

Membrana in orificio vaginali , quæ vulgo pro hymene sumitur & carunculas myrtiformes componit , licet ad purgationem menstrualem satis perforata , tamen si nimis sit crassa , membro virili introitum & ita coitum impedit , quanquam non semper imprægnationem , at hoc valde rarum est , ut & ipsum hymen , ut merito dubitandum an tale quid in virginibus adul-tioribus secundum naturam adesse debeat , & quanquam hac de re prostant obseruationes apud autores , tamen etiam non desunt qui absolute negant prout de la Motte in tract. suo Chirurg. gallice scripto Thom. I. p. 33. ubi hæc prostant verba *La pretendue membrane hymen est une Idée sans fondement , & lors quelle se trouve , c'est contre l'ordre naturel.* Unde etiam , quia vix centesima per talem membranam virginitatem probare posset , virginitatis nota alia querenda est , quod tamen expertis relinquunt .

C 3

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Ly. A partu difficulti, vel obstetricis insuffia, vel sublevatione majorum ponderum, uteri procidentia exoritur, quæ curam etiam malo recente vix recipit, quamquam saepè palliativis solum adhibitis conceptio non impeditur, ut testantur observationes; sed notandum procidentiam uteri veram, ubi scilicet uterus ipse foras propendeat, admodum esse raram, & mulieres saepè cum medicis decipi a membrana rugosa vaginae uteri, quæ post difficultem partum, aut ab imperita obstetricie a subjectis partibus avulsa, extra vulvam pendula imitetur aliquod vasculum pyriforme, ac proinde aliquando parvo periculo abscedit, quod Felix Platerus observavit lib. 3. obs. l. Variæ harum partium excrescentiæ, ut verrucæ, condylomata, cauda muliebris &c. quæ penis ingressum & feminis introitum impediunt, Chirurgica operatione non sine vitæ discrimine sunt tollenda.

§. XXIX.

Mala conformatio in interioribus est, si aliquid deficit quod necessario requiritur, aut aliquid superfluum, quod usum naturalem tollit, ex. gr. defectus nervorum, ut & vasorum spermaticorum, si nempe arteriæ spermaticæ sive præparantes dictæ, vel pauciores, vel minores existunt, quam ut sufficientem materiæ quantitatem, ad ovarium, ovorumque incrementum aportent, sterilitatem inducit invincibilem.

§. XXX.

Tuba Fallopiana, si imperforata a nativitate, est malum incurabile; Si a nimia obesitate, & ovarium

rium

§. XXXI.

rum a pinguedine tegitur, seminalis aura penetrare neficit; quod ab omenti Crassitie os uteri internum ita comprimatur, ut semen virile intrare nequeat, ut Hypocrates notat Aph. 46. Sect. V. verosimile non est, quam verum sit, nimium pingues rarissime concipere, tamen ob aliam etiam fieri potest causam, & non semper ideo non concipiunt quia sunt pingues, sed pingues sunt quia non concipiunt.

§. XXXII.

Abundantes arteriae spermaticae, copiosiori afferentes sanguinem, nimiam excitant libidinem, in qua sanguis valde incalescit, humores & spiritus animales valde agitantur, unde materia alias ibidem secerni solita, majori quam par est copia, & multis heterogeneis particulis scatens excutitur, & accidentaliter sterilitati ansam praebet, quod patet in scortis, de quibus sterilitatis speciebus consultius tacendum, ne malis ansa peccandi suggeratur. Vasis sanguiferis capillaribus, si ob sanguinis acredinem vis inficeretur, corrodendo, ab eorum oculis & parietibus abradendo, haemorrhagiae uteri, imo saepe ulcera talia oriuntur, quae continuo fundunt materiam purulentam.

§. XXXIII.

Uterus ipse saepius suum deperdit tonum, fanguine intemperie pituitosa & crassa laborante, quando nempe

nempe particulae flexiles, sed valde ramosae cum aquosis conjunctae in sanguine exsuperant, non tantum pallor & languor universalis, cum ventriculi saepe imbecillitate in talibus adesse solet, sed frequenter Illuyiem albam per muliebria excernunt, tales enim particulae ad fermentationem & motum minus aptae, in corde sufficienter non subiguntur, nec cum reliquo sanguine intimius conjunguntur, quapropter facile in locis a corde magis diskitis secernuntur, mollieris texturae organa inde debilitantur, firmioris texturae & constantiores obstruuntur, tonumque suum deperdunt, tunc id quod alias in nutrimentum uteri vel fetus abire, vel per vasalymphatica reverti deberet, per vasorum orificia poris perversis vel relaxatis existentibus exsudat, continuo elabitur, & quasi per Cloacam talis Illuyies ab ipsis glandulis eructatur, fluxumque muliebrem, album dictum, constituit.

§. XXXIV.

Ex iisdem causis liquor quem mulierculae in libidinis cestro fundunt, & vulgo semenis nomine venit, si continuo sine irritatione e corpore reticulari dicto, effluit, gonorrhœam constituit muliebrem benignam, quando vero propter malignam hujus liquoris qualitatem, id est certam acrimoniam acidofixam, vascula prostatarum & in vaginam uteri hiantia corroduntur, & in ulcuscula abeunt, cum dolore continuo madent, quod ipsum est venenum istud, quo libidinosi tanquam fermento in amplexibus scortorum tali veneno infectorum, aestuantes pro meritis poenis miseri inficiuntur; instar enim alicuius fermentile habet, cuius exigua pars

pars totam massam, cui admiscetur, corrumpere potest.
Hic fæminilis liquor viscidior & acidior, facta aliqua ob-
structione diutius morari necens & stagnans, corruptio-
ni & putrescentia obnoxius est, præcipue si tali in sub-
jecto acidum exsuperet & legitima venere abstineatur, &
quia continuo aliquid per vasa lymphatica & venas ad
reliquam sanguinis massam revertitur, quæ tali spurci-
tia inficitur, unde non raro affectus hysterici ortum
trahunt.

S. XXXV.

Prout in hepate, ubi bilis a sanguine segreganda;
in variis glandulis, ubi semper aliqualis lympha separan-
da; in liene, ubi particulæ crassiores subtilisandæ, si
verum est, quod suspicantur nonnulli, variæ obstruc-
tiones & infarctus oriuntur, ita etiam accidit in utero, qui
plurimis arteriolis & venulis capillaribus, vasis lymphati-
cis & glandulis, ductibusve variis exilibus, lym-
pham, sanguinemque advehentibus & revehentibus di-
tatu, variis & frequentioribus obstruktionibus vasculo-
rum obnoxius est, particulæ enim crassiores facile in il-
lis hærent, unde vasa extenduntur, circulatio sanguinis
per illa loca aliquomodo impeditur, vel propter causam
aliquam ex. gr. motum lunæ, indeque natam fermenta-
tionem, sanguis consueto magis incandescit, vasa illa ca-
pillaria obstructa, fibræque nimis tensæ dolent, apertio-
nem minantur, vel plane rumpuntur, sanguis extravasa-
tur, grumeſcit, effervescit, vel inflammationem uteri
producit, quæ niſi cito curetur, exulceratur, vel particu-
lis subtilioribus avolantibus in Schirrum abit; Vel in va-
sis majoribus moram necens, malam contrahit Diathe-

D

fin;

sin , & quia per venas evacuari non potest, ad reliquam revertitur sanguinis massam, quam sua acredine, impuritate & fermento inficit, turbat & impuram reddit, quales tunc tragædias, discolorationes, laetitudines, &c. producat, omnibus notum , ob eandem moram membranæ ab acredine ex istis valis exsudante vellicantur, laeduntur, & spirituum animalium alias motus ordinatus turbantur, hinc convulsivi motus, imo non raro paroxismi Epileptici & uteri suffocationes propter consensum nervorum excitantur. Inde palam, summum obstrunctiones has varias non tantum æconomia animali sed specialiter fæcunditati afferre posse detrimentum.

§. XXXVI.

Oscula illa sanguivoma in utero , quia a natura ita sunt disposita, ut facile aperiantur, facile etiam obstruuntur, ex.gr. insolita refrigeratione, præsertim juncta intemperie sanguinis crassa , acido viseida , frigus enim sanguinem & humores ad coagulationem jam dispositos incrassat, & vasorum oscula prædicta plus constringere capax est.

§. XXXVII.

Avaria etiam sanguinis intemperie tubæ uteritæ suum deperdunt tonum , si nimium laxentur aut flaccescant, præcipue earum extremitates ornamenta foliacea dicta tendi , & quasi rigescere non possunt, ut ovum proditorum commode comprehendere , & ope motus vermicularis istarum tubarum exprimere queant, Tubæ istæ si compactiores , vel ea parte , qua in uterum hiant a materia mucosa obstructæ, aura genitalis ad ovarium pertingere non potest , & si eo perveniret, ova tamen in uterus delabi non possent , & conceptio tubaria insequeretur.

§. XXXVII.

§. XXXVIII.

Ex supra recensitis causis & intemperie, quoque tonus ovarii vitiari potest, & quidem membranularum liquorem ovalem continentium, carnis item fibrosæ, in qua tanquam in parenchimate ovula infixa hærent, vasorum item sanguiferorum & lymphaticorum materiali nutritioni destinatam afferentium. Pori membranularum foris intro spectantes, si nimium laxentur, ova flaccescunt, si nimis constringantur, nutriti & augmentari, etiam in utero minime possunt, primis enim diebus humorem illum intra membranulas illas sola transfludatione augeri, demonstrat *de Graaff. Cap. XV. de organis mul.*

§. XXXIX.

Sterilitas etiam accidere potest, respectu utriusque maris & fæmellæ, observatur enim, aliquales conjuges ideo tantum steriles vivere, quia hoc individuum huic præcise, & non ali conjunctum est, licet neutrum per se sterile dici poslit, quod dependet a disproportione temperamentorum & seminum, ex gr. Tullia a cativeo non imprægnatur, optime vero Octavia, & contra fecunda erit Tullia & infæcunda Octavia, si jungantur Sempronio, & hoc accidere potest, dum femina vel nimis bene convenient vel disconveniunt, indeque fermentatio ad præbendam legitime auram genitalem impeditur vel nimium excedit, aut quia unum alteri multo est promptius vel tardius in actu venereo. Possent & aliae adduci rationes, quare tales improportionati non imprægnantur, sed hæc sufficient.

D 2

§. XXXX.

§. XXX.

Tamen unius mentionem faciam, quæ dispropor-
tio moralis dici potest, & a certa dissimilitudine mo-
rum & ætatum, vel a diversa educatione proficiscitur,
unde continuo rixæ, & amor conjugalis tanquam ma-
gnum subsidium deficit; amor enim talis est passio, quæ
semper cupiditatem conjunctam habet, quæ cor validius,
tamen placidius agitando, spirituum animalium copiam
adauget, qui postea ad organa genitalia determinantur,
actumque adjuvant, omnes sensus subtiliores, omnes
que corporis partes mobiliores reddunt, unde & volu-
ptatis majus incrementum. Odium econtra contrarium
producit effectum, hinc in matrimonio viventes coacto,
præter continuum tedium ut plurimum steriles vivunt.

§. XXX XI.


Datur etiam sterilitas, quæ voluntaria dici po-
test, ubi mulieres nimis delicatulae dolores partus me-
tuentes, & ne multititudine liberorum obruantur, uno
vel altero Infante contentæ sunt, atque conceptum ne-
fanda & maxime detestanda arte impediunt. Sunt
& multæ aliæ sterilitatis causæ, quas introducendas
omnes, paucæ hæ pagellæ non sufficiunt, ideo hoc ad
aliud tempus mihi reservo, ubi majora mihi erunt sub-
sidia & commodiora tempora, & Lector benevolus
paucis hisce meis Lucubratiunculis contentus esse
yelit. Faxis summus Archiater, ut omnes mei
Conatus cedant in sacrosancti sui Nomi-
nis Gloriam, proximi Emolu-
mentum, meamque
Felicitatem.


FINIS

Strassburg, Ned. Diss., 17. Nagel-
Noblaue

X 241 8713

W 17





D. E. V.
DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
STERILITATE
UTRIUSQUE SEXUS,
PRÆSIDE DIVINO NUMINE,
Quam
Decreto, Consensu, & auctoritate
Amplissimæ & Gratiissimæ
FACULTATIS MEDICAE
In CELEBERRIMA ARGENTORATENSIMUM
UNIVERSITATE,
PRO
SUMMIS IN ARTE MEDICA
HONORIBUS
AC
PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS,
PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI
SVBIICIT
JOH. RODOLPHUS NEUHUSIUS,
Bienna Helvetius.
Ad diem 28 Februar. Ao. M DCC XXVI.
horis locoque solitis.

ARGENTORATI,
Literis GEORG. ADAMI PIESCKERI, Typogr. Univers.